DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PHTHISI PULMONALI.

EDINBURGI:
APUD E. BALFOUR.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
PHTHISI PULMONALI.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S.S.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,

ET Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JACOBUS MORTON,

SCOTUS,

SOCIET. REG. MED. SOC. EXTR.

AD DIEM 24. JUNII, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO,

APUD E. BALFOUR.

1800.

DAVIDI MACKIE,

ARTEM MEDICAM

APUD

HUNTINGDON

PROSPERE

EXERCENTI,

DISSERTATIONEM HANC INAUGURALEM,

AMICITIÆ ET OBSERVANTIÆ

PIGNUS

D. D. CQUE

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PHTHISI PULMONALI.

VITIA quæ corpora hominum tabe lenta et diuturnâ consumunt phthises generatim vocantur. In hoc tentamine brevi, non unumquodque eorum tractare, sed pauca tantum de phthisi quæ pulmones afficit dicere, in animo est, quo nullus existit morbus, saltem in his regionibus, lethalior, vel sanatu difficilior. Complures tum viros, tum fœminas, florenti

 ætate

ætate gaudentes, quotannis necat, tametſi progreſſui ejus obviam ire ſumma ope nituntur medici.

Phthiſis pulmonalis a celeberrimo Culleno ſic definitur:

"Corporis emaciatio et debilitas, cum tuſſi, febre hectica; et plerumque expectoratione purulentâ."

Hæc definitio, poſteriori morbi ſtadio, quam priori, magis ſeſe accommodat. At dolor in quadam thoracis parte, et dyſpnœa ſigna ſunt, quæ phthiſin ab initio ad finem uſque comitantur; ea, ni fallor, partem definitionis facere debent. Mihi liceat igitur ſequentem proferre.

Tuſſis, dolor in quadam thoracis parte, dyſpnœa, corporis emaciatio, febris hectica, et in decurſu morbi expectoratio purulenta.

HISTORIA

HISTORIA MORBI.

Phthisis a nonnullis auctoribus in duo ſtadia non ineptè diviſa eſt, quorum unum incipiens, alterum confirmatum, vocatur. Hæc ſtadia, quum indiciis diverſis innoteſcunt, ſeperatim deſcribere oportet.

INDICIA PRIMI STADII.

Tempore vernali, et finem autumni verſus, plerumque a decimo quinto ad trigeſimum quintum annum, incipit, tuſſiculâ ſiccâ, quæ nocte precipue ingraveſcit, ægro vel adſtantibus parum notata, et tuſſi catarrhali haud diſſimilis. Huic citius vel ſerius ſuperveniunt leves dolores in pectore vel alterutro latere, interdum vagi, ſed ſæpius fixi. Æger ſenſu anguſtiæ moleſto circa præcordia, dyſpnœâ poſt motum, præcipue poſt acclivem aſcenſum, vex-

atur. Appetitus imminuitur, et alvus plerumque eſt adſtricta. Poſt paſtum ſæpe vomitus. Tuſſis diu ſicca perſtat, tandem humida evadit, et ſputa, ſanguine florido ſpumoſo perſæpe commixta, ejiciuntur, ſapore ſalſo in ore antegreſſo. Lingua ferè nitida præcipue circa margines, et tactu dolet. Lenta tabes corpus depaſcitur. Ægrotans debilis et iners evadit, cui animus varius eſt, nunc dejectus, nunc ſpe elatus. Fœminæ malis hyſtericis maximè proclives fiunt, et menſtrua profluere ceſſant. Sanguis in hoc ſtadio miſſus, cruſtam tenacem albam plerumque oſtendit.

INDICIA STADII SECUNDI.

Stadium ſecundum elucеſcit febre hecticâ cum puris expuitione comitatâ. Primi ſtadii finem verſus ſæpe incipit, nunc ingraveſcit hectica cum remiſſionibus quotidianis, ſed ſecundum Cullenum ex binis exacerbationibus, qua-

rum una obscurior et minimè bene notata, altera clarior in quovis die constans. Horis vespertinis impetum facit cum horrore et sensu frigoris. Frigore citò evanescente, totum corpus, præsertim volæ manuum et plantæ pedum præter consuetudinem calescunt. Circiter horam tertiam matutinam, sudores a capite, collo, et pectore erumpunt, et febrilem accessionem dirimunt. Paroxysmo peracto, urina sedimentum furfuraceum deponit, multum levatur ægrotans, tandemque gratissimo fruitur somno. Summo mane ingens copia puris flavi, viridis, interdum fœtidi, gustuique ingrati, expuitur, concretiones cretaceæ, tussiendo, nonnunquam ejiciuntur. Sitis parum augetur, appetitus minimè prosternitur; e contrario sæpe cibum æger avidissime appetit. Morbo longius progresso, diarrhœâ, vel largo urinæ fluxu, infestatur, quæ cum sudoribus corpus ad summam debilitatem perducunt. Hæc symptomata sæpissime inter se alternant, ut quo major

jor copia ſudoris, eo minor diarrhœa vel fluxus urinæ. Corpus paroxyſmis iteratis magis magiſque extenuatur, ungues incurvantur, crines defluunt, crura ſub veſperem intumeſcunt, oculi hebeſcunt et intra cavitates ſeſe recondunt. Lingua et fauces aphthis fœdantur. Fœtor ab ore, etiam a toto corpore emanat. Tandem viribus penitus labefactis, æger meliora expectans ſubito deficit. Delirium antequam ad ſupremum ventum eſt, interdum advenit. Deglutitionis læſio, et ſputorum ſuppreſſio, ægri miſeriis finem imponunt.

Hæc indicia plus minuſve temporis occupant; nec curſum eodem modo vel ordine, ut ſupra enumerata, conſtanter abſolvunt. Alios paucis menſibus a primo morbi adventu cadere, alios multis annis vitam ægrè incolumem trahere, ipſe novi. Obſervatu dignum eſt, ſymptomata, tempore æſtivo mitiora, hiemali graviora, fieri. In fœminis quæ uterum gerunt,

runt, morbus ſuſpendi videtur, auctâ vi poſt fœtum expulſum rediturus. Multa in nonnullis phthiſicis ſigna a morbi ingreſſu ad finem uſque nunquam extiterunt; modo vomitus, modo thoracis dolor, modo etiam expectoratio purulenta deeſt. Doctor F. Home nuper Profeſſor, in prelectionibus ſuis clinicis, caſum hominis hoc morbo laborantis memorat, cui etiam tuſſis deerat. Huic morbo, maximè obnoxia eſt ætas ad pubertatem, vel virilem ætatem adve&ta. Fœminas plus quam viros, caſque collo longo, humeris altis, et thorace anguſtiore inſtructas; denique formâ tenerâ, venuſtâ et compage molli gaudentes, plerumque adoritur. Sed nulla ætas phthiſi penitus immunis exiſtit.

DIAGNOSIS.

Nullus alius morbus tantam ſimilitudinem phthiſi incipienti, quam catarrhus habet, et ut ſummi momenti eſt morbo naſcenti, quam maturrime

turrime occurrere, non inutile erit pauca ſubjicire quibus a ſe invicem diſtingui queant. Catarrhus a frigore originem ducit, incipit pyrexia, tuſſi plerumque humida, coryza, et faucium inflammatione. Vox rauca, viis narium infarctis, emittitur, et ægro doloris obtuſi ſenſus ſæpe percipitur, quæ omnia facillimè medicamentis rite adhibitis cedunt. E contrario, tuſſis, ſine ulla evidenti cauſa orta, dolor in aliqua thoracis parte, dyſpnœa, pulſus frequens, debilitas, et lenta macies, phthiſin adeſſe ſatis demonſtrant. Præterea totius corporis formæ, morbiſque quibus æger vel familia ejus ſit obnoxia, animum intendere oportet. Quum morbus ad ſtadium confirmatum proceſſerit, cum nullo alio confundi poteſt, ſi rara quædam exempla morbi inveterati a vermibus in inteſtinis hoſpitantibus orti excipiamus. Caſum hujus generis mihi contigit videre, quo, tuſſis, vomitus, diarrhœa, macies et febris hectica adfuerunt. Cum morbum a vermibus exortum eſſe ſuſpicandi

di locus eſt, animum advertere oportet ad ſigna exiſtentia; nempe tormina et inflationem ventris, dolores ventriculi inediâ ingraveſcentes, ſtridorem dentium, pruritum narium, ſingultus, convulſiones, et denique ad dejectiones vermium. Necnon morbi decurſus, ætatis ægri, et victus ratio habenda eſt. His omnibus bene perpenſis, minime decipi poteſt medicus.

CAUSÆ REMOTÆ.

Causæ, quæ homines huic morbo obnoxios reddunt, in congenitas, et occaſionales dividi poſſunt. Phthiſicam labem inter et eam a parentibus ſtrumoſis proli demiſſam, tam arctum nexum obſervarunt medici, ut raro quemquam tuberculis laborantem viderunt, quin, vel in ægro, vel conſanguineis ejus, ſcrophula prius valuerit. Præterea eadem corporis conformatio phthiſicis et ſcrophuloſis eſt; nempe forma gracilis, capilli candiduli, cutis mollis et flacci-

da, venæ tumidæ, oculi cærulei, labrum ſuperius craſſum. Multum inter medicos de labis ſitu diſputatur. Alii illam in humoribus, alii in partibus ſolidis deliteſcere contendunt. In ſententiam poſteriorem ire magis adducimur, quia multa exempla rachitidis et ſpinæ ventoſæ, malum in baſi corporis ſitum clarè oſtendunt: in iis oſſa mollia fiunt, et pars eorum diſſolvi, et a vaſis lympham vehentibus abſorberi videtur. Nonne veriſimile eſt, obſtructionem glandularum ab hac abſorptione magna ex parte pendere, ut cum hæ frigore conſtrictæ fuerint, meatum facilem oſſeæ materei non præbere? Fortaſſe ab eodem fonte derivantur ſaxula cretacea in pulmonibus et glandulis meſeraicis ſæpiſſime reperta. Multæ aliæ cauſæ phthiſin hominibus alioquin non morbo pronis inferre videntur: nempe vapores acres in pulmones recepti, ut fumus carbonis candentis, arſenici, et ex variis præparationibus chemicis aſcendens; evacuationes ſolitæ, uti menſtrua,

hæmor-

hæmorrhagia narium, ſecretio lactis, hæmorrhoides, ſuppreſſæ:—Alii morbi pulmones vexantes, veluti catarrhus, hæmoptyſis, pneumonia, aſthma:—Injuriæ quæ ab externo inferuntur, ut vulnera, tumores in partibus thoracis internis orti:—Materia aliqua mechanica per tracheam in pulmones delapſa, qualis lini farina, lapidum pulvis tenuis, &c. Præterea fluidorum acrimonia, qualis in ſcorbuto, lue venerea, ſcrophula, febribus ſcarlatinis morbilloſis, varioloſis per corpus graſſans, necnon febres continuæ, phthiſin, nullo morbo antea in pulmonibus apparente, inducere videntur. Triſtitia gravis et diuturna cauſis jam enumeratis addi poteſt; quippe quæ longis ſuſpiriis, vix pulmones lædere non poſſit.

Quod cauſam proximam attinet, hanc non a priori penes nos detegere, etiam a poſteriori difficile eſt, quod ſectis phthiſicorum cadaveribus, multa phænomena ſeſe oſtendunt quæ ef-

fectus potius quam causæ habendæ sunt. Tamen verisimile est, eam saltem magna ex parte pendere a tuberculorum inflammatione, in suppurationem male sanabilem iturâ, tandemque febrem hecticam geniturâ. In nonnullis phthisicis quibus ulcera non sunt, excreatio, ex arteriis parvulis serum effundentibus, morâ in pus convertendum, provenire videtur.

RATIO SYMPTOMATUM.

Hanc partem opusculi, meo ingenio diffisus, aggredior, quippe cum causâ proximâ minimè intellectâ consociatam. Pauca tamen in ordine symptomatum mihi liceat proponere. Tussis ab inflammatione tunicas bronchiorum membranaceas irritante pendet. Noctu magis infestat; quod eo tempore sanguis velocius per pulmones urgetur, et in lecto decumbenti, frigore nonnihil augetur. Dyspnœa oriri videtur, partim, a tuberculis vesiculas aëris comprimen-

primentibus, partim, tranſitu ſanguinis per pulmones difficiliore. Sapor ſalſus in ore, qui potius hæmoptyſin comitatur, ex arteriis parvulis eroſis pendere videtur, quæ primùm ſerum, poſtea ſanguinem, effundunt. Vomitus; ratio hujus ſymptomatis non clare patet: tamen veriſimile illud originem trahere, partim ex debilitate febre inductâ, partim tuſſi, quæ gravis et diuturna ventriculum comprimit et motus ejus invertit. Febris hectica puris abſorptione accenditur, naturam intermittentis participat, et viribus naturæ incitatis attribui debet, quæ vel ſudoribus vel diarrhœâ criſes diurnas ad morbum debellandum format. Crura intumeſcunt; quia ſanguis a partibus inferioribus redux, pulmonibus obſtructis, in vena cava accumulatur, et ex arteriis in venas non receptus, latex aquoſus e vaſis exhalantibus in telam celluloſam effunditur; huic addantur debilitas et ſitus crurum pendens. Appetitus minimè proſternitur; quod æger paroxyſmum paſ-

ſus,

ſus, multum levatur, febre pene immunis eſt, et natura, cibum, ad evacuationes copioſas ſupplendas, poſcit. Homines altis humeris longoque collo magis infeſtat; quia thorace anguſtiore ſunt, ideoque majore renixu ingreſſui ſanguinis in vaſa pulmonum oppoſito, hi vix non damnum concipiunt.

PROGNOSIS

Plerumque infauſta eſt. Medici exitum tam funeſtum hunc morbum comitari obſervarunt, ut iis dubitandum ſit, an unquam homo phthiſi veræ implicatus convaluerit. Tamen exempla non pauca, morbum cum naturâ tum arte ſanatum eſſe oſtendunt. Igitur de morbi eventu omnino caute pronunciandum eſt, nihilque quod ægri ſaluti conferat ommittendum. Cum phthiſis originem a pleuritide, vel ullo alio morbo pulmonibus inducto traxerit, viribus haud admodum fractis, tunc terminum felicem

ſperare

ſperare licet. Sed cum a mala pectoris conformatione, vel a labe congenitâ orta fuerit, minimè ſalutem augurari poſſumus. In junioribus quam in ſenioribus periculoſior, quia tunc morbus hæreditarius magis ſuſpicandus eſt. Graviditas fœminarum et mania morbo ad tempus obſtare videntur, redituro autem quum primum hæ res ceſſaverint. Cum diarrhœa et ſudores, corpus ad ſtatum liquationis perduxerint, ſpem fovere non licet.

RATIO MEDENDI.

Medici et nuper et olim jactarunt, ſe inveniſſe medicamenta quæ ad morbum ſanandum jam longe progreſſum præpollent, et multa exempla curationis felicis ab iis prolata fuerint. Tamen his teſtimoniis parum fidendum eſt, quoniam eadem medicamenta in aliis exemplis a medicis pari fide dignis adhibita, nihil valuere. Confitendum et dolendum eſt, morbum jam

jam inveteratum inter opprobia artis medicinæ adhuc manere. In malo verò incipiente mihi perſuaſiſſimum eſt, ſubſidia artis haud parum prodeſſe. Hæc ſubſidia ad tria capita referri poſſunt.

Primo, Cauſas quæ homines morbo opportunos reddunt, prævertere vel amovere.

Secundo, Cum hæ cauſæ agere inceperint, inflammationi occurrere.

Tertio, Quædam in morbi decurſu ſigna prementia ſublevare.

Primum conſilium quod ſpectat, inter cauſas quæ homines morbo opportunos reddunt, labes hæreditaria locum conſpicuum tenet. Quomodo hæc e corpore expellenda ſit neſcio, vel quomodo tubercula proles ejus diſcutienda ſint neſcio iterum. Nam materia medica nobis

nullum

nullum medicamentum præbet, quo effici potest. Tamen scire juvabit, mutationem cæli et victus, tum ad sanandum, tum ad morbum præcavendum, multum valuisse.

Aliis causis excitantibus, scilicet hæmoptysi, pneumoniæ, catarrho, &c. sua ratio medendi singulis est, quam hic loci perpendere supervacaneum foret. Cum causa excitans adhuc phthisico adfuerit, ut opificibus diversis contingit, vix dicere necesse est, eos ab opere cessare oportere, et malum jam pulmonibus inductum consilio secundo amovendum, nempe inflammationi occurrendo. Ad hoc efficiendum, medicus regimine potius quam medicinis niti debet. Sed in nonnullis ægris quibus pulsus duri et frequentes sunt, sanguinem parcâ manu detrahere opus erit, quo impetus ejus in pulmonibus minuatur, et tuberculorum suppurationi obviam eatur. Notandum est hoc inutile vel etiam perniciosum evasurum, cum pul-

mones ſuppurare inceperint, et vires ægri multum labefactæ fuerint. Cum ventriculum ſordibus eſſe onuſtum, vel pulmones muco et aliis humoribus infarctos, locus eſt ſuſpicandi, tum emetica ægro auxilio eſſe mihi videtur, ſed ea mitiora non acriora exhibere vellem. Emetica etiam præſtantiſſimo uſui inſerviunt, humores a pulmonibus ad partes extremas divertendo, et liberum halitum per cutem promovendo.

Nonnullis magis placuit ipecacuanham in parvulis doſibus granorum trium vel quinque mane et veſpere dare, et has per aliquot hebdomades continuare. Cautè tamen perſiſtendum eſt, ne ventriculus uſu ejus nimis diuturno damnum concipiat. Quid dicam de vitriolo cæruleo phthiſicis a Doctore Simmons exhibito? Ille medicus clariſſimus, hoc medicamentum acre in doſibus a duobus ad decem, quindecem, vel etiam viginti grana, ſe feliciter adhibuiſſe

adhibuisse dicit, cum ipecacuanha nihil profuisset. Mirum!!! Hæc dosis perampla, me judice, decem sanos occidere, potius quam unum phthisicum sanare, magis valuisset.

Vaporum aquæ tepidæ inhalatio prestantissima inter remedia recensenda est, quia multum levaminis tum tussi tum dyspnœæ affert, et cum fotus sit partibus pulmonum internis applicatus, ad inflammationem discutiendam haud parum conducit. Num aliam ullam materiem cum aquâ miscere oporteat, mihi non liquet; tamen, si commodum judicetur, mitis, non acris esse debet.

Summi momenti est exhalationem per cutem sustinere, presertim a partibus corporis inferioribus ubi circuitus præcipue languet. Ægro non alienum foret, semicupio ter quaterve in hebdomade uti; et balneo egressus, indusium laneum induere, necnon crura tibialibus

laneis obvolvere. Hæc praxis, diaphoreticis, quæ ſudorem movent et corpus debilitant, anteponenda eſt. Cum dolor fixus pectori inhæret, vel dyſpnœa urget, veſicatoria alicui levamini ægro erint, quæ et cetaceis, et fonticulis anteponenda ſunt.

Victus phthiſicorum ſummam attentionem jure ſibi vindicat. Cibus ex carnibus, piſtris, condimentiſque paratus, fugiendus eſt. Dieta tenuis eſſe debet, et ex lacte, rebuſque farinaceis conſtare. Ex generibus lactis diverſis vel affinium, vel equinum, vel caprinum, omnibus aliis, lacte muliebri excepto, præferenda ſunt, quippe quæ minus coaguli continent, ideoque concoctu faciliora. Tamen lac vaccinum cum pauxillo aquæ, vel melle cocto deſpumato commiſtum, pleriſque phthiſicis ſatis idoneum eſſe videtur, ut probat experientia. Verum lac non ſemper ſuis incommodis caret, interdum alvum adſtrictam reddit, interdum

acorem

acorem in ventriculo gignit; utrique malo ope magnesiæ occurrendum est.

Sed si alvus plerumque tardior, ut sæpissime in hoc stadio morbi accidit, ægrotanti magis idoneum erit pro potu uti lacte ebutyrato, vel sero lactis, vel hoc acidulo reddito tartari crystallis. Fructus maturi etiam, tum ad sitim extinguendam, tum ad corpus alendum, satis commodi sunt. Cibum e farina avenacea rustici parant, qui omnibus aliis antecellit, et phthisicis optimè convenit. Præparatur hoc modo: Glumis avenaceis cum aliqua adhærente farinâ multam aquam frigidam affundunt, et agitant, ut probe misceantur: deinde post aliquot dies, subsidente amylo, liquorem qui supernatat jam acescentem effundunt et rejiciunt. Materiem iterum aquâ diluunt, quæ etiam rejicitur, ut acidum omne eluatur; tum amylum per cribrum exprimunt, cui aquam superinfundunt donec spissitudinem lactis acquirit;

quirit; quod denique in coagulum ope ignis lenis cogunt.

Hic cibus fermentatus febricitantibus optimè convenit, quia ſatis nutrimenti ſine ſtimulo poſſidet, et alvum duritiæ minimè pronam reddit.

Exercitatio haud levis pars curationis habenda eſt, cujus genus aliud, aliis anteponendum, nec idem ægris diverſis, vel eidem ægro diverſis temporibus accommodatum. Æger, viribus haud admodum fractis, ſub jove ſicco non frigido, ambulet, equitet; ſed cautè peragendum, ne nimium ſudoris moveat, aut fatigationem inducat.

Cum vires impares huic geſtationis generi devenerint, exercitatio in curru, vel agitatio in ſede penſili magis convenit. Sed navigatio palmam ab omnibus aliis præripit. Scriptores medici

medici de hujus generis geſtationis utilitate conſentiunt, de modo operandi autem multum diſputatur; tamen parum refert ſi res vera ſit. Veriſimile eam effectus ſalutiferos præſtare, liberum halitum per cutem promovendo, appetitum acuendo, et ſic totum corpus roborando. Nametſi nauſea et vomitus ſæpe inducuntur, ea tamen ſalutaria habenda ſunt, vel ſi noxia, aliis effectibus ſalutiferis ample compenſari videntur. Ægro etiam majori auxilio erit, ſi, e nave egreſſus, in plaga amœna vel inſulà ubi ver et autumnus perpetuò regnant, paucos annos vitam degerit. Hoc faciendum, antequam ad incitas redactum eſt, ubi vel medicamenta, vel regimen parum juvant.

Quod tertium caput attinet, quædam ſcilicet ſigna prementia ſublevare; moleſtiſſimum omnium eſt tuſſis, quia ab initio ad finem uſque ſævit, et ſomnum abripit. Ad tuſſim levandam, demulcentia adhiberi poſſunt, uti infuſum lini,

decoc-

decoctum althææ aut tussilaginis, et ad somnum inducendum, opium aut hyoscyamus. Hic alvo tardiori, illud laxiori utilius. Cum hæmoptysis tussi comes est, melius erit uti conservâ rosarum rubrarum cum guttis paucis acidi sulphurici diluti. Sed si morbus longe processerit, ægrum diarrhœâ infestans, opium omnibus aliis anteponendum est, cui adstringentia, veluti creta, catechu, gummi kino, addantur. Sudores matutini compescendi sunt acidis, vel mineralibus, vel vegetabilibus rite dilutis, quibus pulvis corticis cinchonæ adjungi potest. Nunc ægro alienum foret, viribus admodum fractis, regimine antiphlogistico uti; fruatur cibo vario, sed levi quam maximè ventriculo congruente; neque necesse est a carne vel succis e carnibus extractis abstinere.

Manum ultimam huic opusculo antequam imponam, fortasse digitalis nuper multum jactati mentionem facere oportet. Hoc remedium

um in formulis variis, paucis phthisi laborantibus, exhibitum vidi. In quibusdam pulsus arteriarum tardiores, ac pleniores fiebant, et quædam alia symptomata aliquamdiu mitigari videbantur; in aliis pulsus nihil retardati fuerunt, et effectus noxii magis quam salutares evidenter sese monstrabant. In omnibus usu digitalis continuato, morbus ad funestum exitum gradum properabat. Huic remedio igitur, ad phthisin sanandum parum fidendum est.

FINIS.

EDINBURGI:
APUD E. BALFOUR.